



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

17. Indiculum generale ad omnes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

Indiculum generale ad omnes.

XVII. Domino magnifico sapientiâque decoratum & dono Dei regali gratia sublimato illo ille ultimus fervorum Dei servus ac si vilis ille infimus vocatus Episcopus, salutem vobis multimodam unâ cum confratres nostros oratores vestros, qui ad limina sanctorum illorum die noctâque pro vobis obsecundare noscuntur, dirigere præsumimus. De ceterum cognoscit industria vestra precamur atque supplicamus vobis de ista causa unde iste præsens serviens vester Missus noster innotuerit, ei in suum placitum esse dignetur, agat almitas vestra ita ut consuetudo vestra bona erat erga nos frequenter operata est.

Item alio.

XVIII. Domino procerumque illustrem optimate ill. regale gratia sublimatum & à nobis cum magna veneratione atque reverentia nominandum in Dei nomen ill. ultimus fervorum Dei servus salutem vobis in Domino tam multimoda destinare præsumimus unâ cum omni congregatione fratrum nostrorum quam arcana cordis nostri continet plenitudo. Memorare dignemini qualiter vos nobiscum ante hos dies confabulare dignastis & in oratione quamvis nos indigni commendare dignastis. Precamur atque supplicamus clementia vestra ut ad necessitatem fratrum nostrorum oratores vestros aliquid de elemosyna vestra consolare jubeatis, & quicquid exinde vestra clementia erga nos disponit agere, per vestro venerabile scripto nobis dignetur facere certiores, & undecunque nobis injungitis aut injundum habetis de orationibus vel de alio servitio, parati sumus vestris partibus vestrorumque omnium servitium fidelis referre.

Item alio.

XIX. Sanctissimo ac sanctis ceremoniis observantem æquè fonte spirantia exsuperantem Domino Patre & multorum gregem Christi que vice agente illo Pontifice ultimus omnium fervorumque Dei servus ille. Ad clementiam pietatis vestrae has apices destinare præsumpsimus, non nostrifreti obsequio, sed vestra magnitudine culminis pietate. Ideoque quasi ad præsens genua vestra deosculantes, suggestiuncula nostra vobis propter quod mancipia beati patroni vestri de monasterio nostro fuga lapsa in vestro dominio prælapsi sunt advenisse. Ideo supplicamus clementia vestrae ut quomodo iste Missus noster nomen ille

hæc nostra suggestiuncula vobis detulerit, sicut vestra in omnibus bona erga nos est consuetudo, inter nos seu erga omne nostra justitia inquirere jubeatis, qualiter congregatio nostra obsecrantes Deo oratores vestros melius Dei misericordiam pro vobis delectet implorare.

Item alio.

XX. Domino sancto ac sanctis ceremoniis observante Domino illo & in Christo patre ego ille salutem vobis in Domino unâ cum omni congregatione fratrum nostrorum plenissimam dirigere præsumimus tam vobis quam scilicet congregationem vestram, quam Dominus sub norma sanctæ regulæ ad protegendum in manu misit. Supplicamus caritatem & fraternitatem vestram ut inter nos seu monachis nostris orationes peculiare esse debeant: quia quamvis in spatia terrarum distet corporalis nostra conversatio, sed, ut bene nostis, non separant spatia terrarum quos sociat caritas vera: quia si unus in oriente & alius in occidente consistat, ambo pariter orando Domino in caritate glutinantur. Supplicamus etiam.

Item alio.

XXI. Domino inclito fidelisque Deo atque regale gratia sublimato atque à nobis veneratione & amore colendo illustre viro illo optimate illo maximam salutem & inviolabilem cupio & vobis præsumimus destinare. De ceterum comperiat industria vestra eò quòd & ætera gaudeat floreatque per tempora nobilitas vestra, & quandoque terrena linquitis, cælestibus mereatis agminibus glomerare.

Item alio.

XXII. Domino & in Christo patri apostolica sede colendo Domino illo ille proprius vernaculus vester salutem vobis in Domino multimodam destinare præsumimus. Cognoscat, Domne, sanctitas vestra quòd serviens vester nomine illo ad nos venit & dixit se negligentia contra vos habere pro qua gratiam vestram non habeat. Propterea supplicamus, quasi ad præsens genua vestra deosculantes, ut ipse apud vos excusatus sit & eum per nostram precationem recipere & consilium ei facere ordinetis. Agat, Domne, sanctitas vestra sicut semper erga nos facere consuevistis. Sanum & incolumem vos citius merear videre.

Item alio.

XXIII. Domino almifico, excellentia decore ornato, ac beatissimo, meritisque